

Borie, Philibert - candidat / Bringaud, Simon-Antoine - président / Borie, Pasquier - auteur. - An Phthisi ultimum gradum nondum assecutae, aquae Cauterienses, vulgo de Cautères ?

1785.

Paris : Typis Quillau, Universitatis & Facultatis Medicinae Typographi. viâ dictâ du Fouarre

Cote : ms 2337a n°125

23

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die jovis vigesimâ quartâ
mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXXV.

M. SIMONE-ANTONIO BRINGAUD, Doctore Medico, Præside.

An Phthisi ultimum gradum nondum assecutæ, aquæ Cauterienses, vulgò de Cauterès?

I

INTER judicatu tardas ægri tudines phthisi pulmonari frequentior nulla, nulla periculosior: palàm occurrit ferè ubiquè tabes; mors hujus sapissimè finis: idè si tabido Medicus advoceris, institutæ therapie vim morbus eluserit, fatoque fungatur æger, filet cavillator etiam mordacissimus; nullo rudis injuriæque vulgi sermone vapulas; omnem à te suspicionem amovet vel sola morbi denominatio.... nec morbus acerbior alter: ægros quidem aciori dolore pressos reperies; verùm hos latet natura morbi; recuperandæ sanitatis spes elucet; & quod melius ferendi doloris solatium? Quod eidem leniendo efficacius fomentum? Phthisico conscia mens mali cuique sua est; quæ eum fata maneant, multiplici exemplo didicit; minis quidem cæteris corpore dolet, ast gemit miser metus tristitiæque præda: dirus animo mœror; ab eo recreari nefas; eum semper exagitat

Occultum quatiens animo tortore flagellum.

Studet incausum mentem atris quibus afflictiatur idæis avocare; vanas sibi frustra fingit species quò eam aliò diverrat; operosa quæ pectus quatitur tussis, sputorum & quantitas & fæda indoles, febris quæ uritur hæctica, respirationis difficultas, atque molestus in pectore gravitatis sensus vix sopitam citò renovant infortunii memoriam: se tunc sollicitum omnibusque præbet difficilem:

*Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
Æstuat, & vitæ disconvenit ordine toto.*

Si sibi fucum facere, atque aliquid præsumere contigerit, se brevè agnoscit concepti erroris, speique fugitivæ ludibrium: tristem conditionis veritatem apertè declarant corporis ferè exfucci macies, spiritus angustia, nocturni quibus colliquescit sudores, exhausti vires diarrhœa, pertinax ciborum omnium fastidium, proximæ mortis præ-nuncia: nam penitus exhaustis paulò post viribus, partim exesis, partim pure repletis pulmonibus, expuitionis impotens extinguitur. Si tibi venerei, scorbutici, aut scrophulosi phthisis soboles, venerea, scorbutica, scrophulosa nuncupatur; nec sagacem Medicum species unquam eludet; quælibet à vitio à quo dependet, quæ eam manifestent, symptomata mutuatur. Quandoquæ spura purulenta evanescere, mox per

* *Authore Pascaſio BORIE, anno 1746.*

intervalla recurrere videntur: nonnunquam, sævientibus cæteris phthiseos confirmata signis, tussis sicca ægrum exagitat, moxque subito (si abcessus apertura venticulas prospexerit) uberior quam pro solito more puris copia sputis ejicitur; sæpissime puris expuitio ferè æquabili tenore toto morbi decursu perseverat: hæc sunt tabis tuberculosa, vomica, atque veræ phthiseos discrimina. Modò à vitiosa pulmonum constitutione primariò dependet, modò ab alterius viceris pravâ dispositione, vel à prægresso morbo, aut à suppressâ solitâ quâdam evacuatione natales ducit; hæc sympathica, aut *sympomatica*, *idiopatica* altera dicitur. Multiplex morbi gradus; hos ritè distinguere plurimi Medici refert. Si quem videris habitu corporis graciliori ac teneriori, staturâ procerâ, pectore depresso & angusto, costis protuberantibus, scapulis instar alarum prominentibus, collo oblongo, labiis genique colore rosaceis, ingenio ut plurimum præcoci; huic tabem imminere pronuntia: idem ferè iudicium de iis (a) qui *tabidâ stirpe sati sunt*, quasi enim hereditario jure omnes necessariò tabe marcescunt; hocque malum sæpè vidimus in omnes ejusdem familie ordine grassari. Pressio pede sequentur, ni cautè obstiteteris, dolor à parte anteriori pectoris ad posteriorem protensus, importunus vel levi de causâ anhelitus, ponderis sensus, tussis vel sicca, vel sanguinis ferax, totidem certa morbi incipientis indicia. Hunc mox confirmabunt expuitio puris, febris lenta quæ inclinante die exasperabitur. Recensitorum symptomatum sævities, sudores nocturni, colliquans diarrhoea, pedum tumor œdematofus, virium prostratio, horrida totius corporis macies, suffocationis metus tabem ultimum gradum assecutam significabunt. Conare ut imminuentem præcaveas, aut saltem incipienti obstes, dubius semperque difficilior in confirmatâ successus; deploratâ nusquam medebere; (b) *tabes cum factæ sunt*, necessitatem habent ut interimant. Propositum pro votis assequere, si utare remedio quod imminuentem pulmonum infarctum arceat, aut enatum citò referet, vel (si hunc infelici fato facta ac impura continui solutio exceperit) quod ulceris progrediui aversetur, ejusque causam evellere maxime queat.

I I.

PULMONES ulcus depascens proximam morbi causam declarant sputa purulenta, cæterorum symptomatum indoles, cadaverum apertio. (c) *ulceris origo deducitur ab omni causâ quæ valet sanguinem in pulmonibus ita sistere, ut in materiam purulentam abire cogatur.* (d) *Cum pulmo sanguinem in se ipsum traxerit, aut pituitam salsam, & non rursus dimiserit, sed in ipso coacta & compacta fuerint, ab his tubercula fiunt in pulmone & suppurantur.* Nusquam igitur pulmonum ulcus absque prævio infarctu: hujus (e) *causa duplex, una quidem vitiosa Pulmonis constitutio, altera humor crassus, exedens; ceu; quod eodem recidit, nimia vasorum teneritudo atque debilitas, prava humorum crassities atque acrimonia; ex his omnem erues facili negotio variarum phthiseos specierum æthiologiam.* Causarum quas memoravimus actioni favent solitæ evacuationis suppressio, vis ingens pulmonibus illata, ciborum acriorum atque calidiorum ingestio, vehementiora animi pathemata, aer nimio calore aut frigore, humiditate, gravitate, aut alienarum particularum miscelâ infensus, verbo quilibet rerum non naturalium abusus. Morbi causarum historiam meditare; patebit in imminente phthisi imminere Pulmonum infarctum, eundem in incipienti existere, in confirmatâ ulcere Pulmones exedi; elucescent & triplicis assignatæ indicationis veritas, & remedii his implendis accommodati necessitas, utilitas, præstantia.

I I I.

CAUTERIENSEM vicum in Pyreneorum montium parte apud Bigerrones conspicuâ situm nobilitant tres thermalium aquarum fontes, totidem balnea. Harum temperatiores, aquæ scilicet scatebræ vulgò *Laralière* dictæ, solæ sunt quæ in præsentem morbo commendentur; nihil in hac totâ rerum universitate, triplici memorato effectui pro lucendo, iis reperies accommodatius. Maximâ spiritus sulphurei copiam, multo bitumine imprægnantur; alkali continent non paucum salis marini basis

(a) Fernel.
de pulm.
morb.

(b) Hipp.
lib. 10. de
morbis.

(c) Boerh.
de phthisi
Aph. 1197.

(d) Hipp.
lib. de inter
aff. cap. 4.

(e) Fernel.

3

aemulum; Marte pauco, paucissimo sale glauberiano ditantur. Principii quintuplicis praesentiam demonstrant quae sequuntur observationes & experimenta.

O B S E R V A T I O N E S.

Odorem atque saporem concepti ovi apprimè referunt, utrumque brevissimo temporis spatio amittunt aeri libero exposita. In scaturigine, semi-minutæ spatio, plumbeum, sparsis hinc & inde rubris viridibusque labeculis, argento colorem conciliant. Prima.

Tactu lentæ, pingues, oleosæ percipiuntur: quos percurrunt alvei materiâ obducuntur pingui, copiosâ, cinerei coloris; abrafu 24 horarum spatio renovatur. Secunda.

Terrâ fons circumdatur pingui, nigricante, metallicis splendentibus lamellulis refertâ. Tert'ia.

In scaturigine epotæ primis diebus ventriculum ac intestina turbant, dejectiones nigricantes promovent; postea alvum adstringunt, diarrhoeisq; etiam contumacissimis feliciter medentur. Quarta.

Si quales in fonte reperiuntur acidis aut alkalibus immisceantur, nulla fermentatio: si variis tincturis, aut lacti, nulla mutatio. Quinta.

Plantis aromaticis amaraco, serpyllo florent circumjecta fonti loca. Sexta.

E X P E R I M E N T A.

Dum earum tentatur evaporatio, eundem ac hepar sulphuris odorem exhalant; vas, si argenteum, flavis, rubris, cæruleis, nigrisque maculis inficitur. Primum.

Ita lentim igne spissescunt ut petrolei colorem atque consistentiam æmulentur. Secundum.

Hujus aquæ miscelâ virescit syrupus violaceus; eadem cum oleo vitrioli fermentescit. Tertium.

Aquâ igne spissatâ Gallarum tincturæ immixtâ, fæx successu temporis decedit, hæc si exsicceetur nigrescit; in pulverem redactæ pars quædam magnete ducitur. Quartum.

Si dissolutioni argenti affundatur, opaca fit illic mixtura, datque faciem flavicitrini coloris. Quintum.

Facilè, ejusdem atque dissolutionis mercurii ope spiritus nitri, mixturâ, mercurii fit revivificatio; pars quæ sulphuri in aquâ superstiti annectitur, præceps dejicitur; dum pars altera bitumine correpta, sursum elevatur, atque splendentem pelliculam efformat: metallis, facis atque pelliculæ frictu, assueta mercurio accidunt coloris mutationes. Sextum.

Cristallos dant, paucas equidem, sali glauberiano haud absimiles. Septimum.

Aquæ addito oleo caleis fit materiæ cum acidis fermentescentis præcipitatio. Octavum.

Spiritus volatilis præsentiam testantur inter observationes prima, secunda, sexta. Inter experimenta, primum, quintum, sextum.

Partem bituminosam indicant inter observationes secunda, tertia, sexta. Inter experimenta secundum, sextum.

Alkali demonstrant inter observationes prima. Inter experimenta primum, tertium, quintum, & subsequencia.

Aquas sale glauberiano pollere probant inter experimenta, septimum, octavum.

Martem demonstrant inter observationes tertia, quarta. Inter experimenta, quartum.

Sapone igitur balsamico atque Martialifato præditæ sunt aquæ Cauterientes; eas tabidis amicas suadet ratio, confirmat experientia.

I V.

IMMINENTEM Pulmonum infarctum feliciter præcavebis, aut impactam in iis materiam tutò referabis, si tenerioribus debilioribusque vasis robur, elasticitatem concilies; spissiora fluida comminuas, acriora demulceas: quid, velim, his muneribus implendis aquis Cauterientibus efficacius? Martè vim, elaterium vasis impertuntur: sapone crassa dividunt; stagnantia pellunt: acria balsamo temperant. Remedium ipsi Pulmonum ulceri præstantius nullum; repetitis quas proritat vasorum oscillationibus

extravasatos humores maturat, coquit, coctorum excretionem juvat, ulceris labia deterget, emollit, omnibus attritis obicibus circulationis vias expedit, eas verbo omnes inducit conditiones quæ & ulceris extinguendo fomiti & novorum vasorum evolutioni, atque glutinationi favent. Ne tamen aquæ laudatæ ita fidas, ut eâ solâ absolvendam curationem existimes: si natales peculiari veneno morbus debeat, huic specificum subsidio advoca. Nusquam expertissimorum Medicorum testimonio comprobata auxilia negligas; proderit in imminente, atque in incipiente morbo moderata equitatio: sæpius fiet lactis usu cujusque tabis faciliior promptiorque sanatio: si laxandi, humectandi, atque demulcendi sit animus, lacte asinino; si temperandi simul & conglutinandi necessitas, caprino; vaccino tandem utare, dum nutrimento præsertim opus est: has varias lactis species, si ferat stomachus, sinceræ, sin minùs, aquâ calcis, decocto verò radicum tormentillæ, bistortæ, aut fragariæ commixtas biliosis, melancholicis suade. Aquæ quantitas à libris duabus ad tres, quatuorve mane jejuno ventriculo per 20 aut 30 dies pituitosis, sanguineis; parcius verò biliosis, melancholicis imperanda, sed diutius insistendum; larga in imminente atque incipiente phthisi, in confirmatâ parcius concedenda. Rationi suffragatur experientia: fidem fermè superant, quos continuò operantur, effectus. Cauteriensem Vicum quotannis appellit languentium tabida cohors, spe recuperandæ sanitatis allecta; votis stat eventus. Famam multiplici partam successu non solùm servant incolumem, eam quoque ita adaugent, ut sint hodie maximè apud Benearnenses, Tolosanòs, Burdigalenses, Hispanosque Medicos existimatione.

V.

AQUIS igitur Cauteriensibus uti ne dubites; præsentissimam tetro phthiseos delendo fomiti opem exhibent: in unum felici amicoque connubio juncta continent varia quæ tabidis opitulari posse hætenus Medici arbitrati sunt. Ast, inquires, innumeris saponum atque balsamorum formulis ejusdem naturæ, ac consequenter ejusdem virtutis referata sunt quamplurima Medicorum opera; miris extolluntur encomiis; in praxi spem frustratur eventus. Plurima saponacea balsamicaque medicamenta excogitata fuisse non diffiteor; verùm hæc cum aquarum principis nomine tenèis conveniunt, re discrepant: acri parte semper nocent, et si accuratissimâ arte confecta; eorum idèò defluxit usus. Artem, in suis semper natura superat operibus: rectior in aquis principiorum proportio, perfectior digestio, atque elaboratio, majorem idcirco in dies famæ celebritatè assequuntur; (a) *Opinionum commenta delet dies, natura judicia confirmat.* Ne ferri, in teneros debileque phthisicorum Pulmones vim & actionem pertimescas: exigua est ipsius quantitas, balsamo insuper comite ita temperatur, ut nullam producere queat irritationem; tussis mitigatio hujus veritatis argumentum.

(a) Cicero
de Legib.

Ergò Phthisi ultimum gradum nondum assecuta, aquæ Cauterienses, vulgò de Cauterès.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Josephus GILLE.	M. Joannes-Baptista-Adrianus ROSE DE L'ÉPINOY.	M. Ludovicus-Alexander DE CÉZAN.
M. Joannes-Jacobus-Henricus DUCOS.	M. Josephus-Franciscus BOUR- DIER DE LA MOULIERE.	M. Joannes-Baptista LANGLOIS.
M. Antonius-Petrus DEMOURS, Regis Christianissimi Ocularius de signatus.	M. Antonius-Franciscus-Jose- phus DESMARESCAUX.	M. Henricus RAYMOND, Regis Exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus.

Proponebat Parisiis, PHILIBERTUS BORIE, Nivernensis Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1785, AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi,
viâ dictâ du Fouarre, 1785.

